

Johann Cammann Henning Wegner

## **Disputatio lurid. De Praescriptis Verbis**

Rostochii: Literis Reusnaerianis, 1608

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728319640>**

Druck Freier  Zugang



R U jur 1608  
Henning Wegener (Präs.)  
Johann Gammann (Resp.) / b



36

36.

4

DISPUTATIO IURID,  
DE  
PRÆSCRIPTIS  
VERBIS,

Quam,

ἔἰς τὸν ἀποφασίζῃ,


Permissu & autoritate Nobiliss. & Ampliss.  
Facultatis Iuridica in illustri Rosarum  
Academia,

Sub Præsidio  
HENNINGI WEGENERI  
J. U. D.

publicæ censuræ  
exponit

JOHANNES CAMMAN  
Bransvigijs,

Ad 2. diem Martij,  
Horâ 6. matutinâ,  
In auditorio magno.



ROSTOCHII  
Literis Reusnerianis, Anno 1608.



VIROS

*Prudentiss<sup>os</sup>, rerum usu, consilio, & eruditione  
præstantiss<sup>os</sup>,*

DN. CONRADUM CAMMAN,  
Inclytæ Reipub. Brunovicensium Camerarium  
digniss<sup>m</sup>, fideliss<sup>m</sup>, patrum suum  
suspiciendum :

*Nec-non*

DN. SIMONEM MOLLER, Ejusdem  
civitatis Decem-virum meritiss<sup>m</sup>.

*Dnm. & patronos suos plus-quàm observandos,*

U T

*Hasce studij sui legalis amplexus*

*Vultu sereno*

*Fronte benignâ*

*suscipiant.*

*debitâ observantiâ  
rogat*

A. & Resp.





DISPUTATIO  
DE PRÆSCRIPTIS  
VERBIS.

POSITIO I.



Aturâ rerum conditum est, inquit Ulp. ut plura  
sunt negotia, quàm vocabula. Humani enim  
uris conditio in infinitum decurrit, & novas  
formas edere, secundum Justinianum, quoti-  
die properat.

2. Deficientibus igitur negocijs & actioni-  
bus vulgaribus & usitatis, h. e. quorum appellationes jure  
civ. prodita sunt, Præscriptis verbis ex contractibus innomi-  
natis agendum esse Celsus & Julianus responderunt.

3. Actio igitur Præscriptis verbis species erit actionis in  
factum, directa, ex contractu innominato competens.

4. De definito primùm hic monendi locus: quod etsi prælium  
caprinum vocet Henr. Heideccius: nescio tamen utrum Cu-  
jacium, Baronem, Duarenum, Hotomanum, Donellum, ut &  
alios præstantissimos Interpp. inutilem hac in questione ope-  
ram posuisse cum Heideccio affirmare debeam.

5. Mibi cereè, cum naturam & amplitudinem hujus actionis  
accommodè explicet, inutilis hæc non videtur investigatio.

6. Etymologiam autem hujus actionis doctissimus Imp. A-  
lexander nobis suggerit, quando illam ita circumseribit, quod  
rem gestam præscriptis verbis demonstret. Sed hisce Alexan-  
dri verbis quidam aliam mentem ex sua mente præter ipsius  
mentem affingere videntur.

A 2

7. Et

7. Et Franciscus quidem Hormanus, ut conjectura sua locum faciat, violentam manum, non huic tantum, sed omnibus omnino, in quibus mentio fit hujus actionis, textibus adhibet, & perscriptis legit, quod cum aliae vulgares actiones notis tantum, haec plenus & integris verbis perscribi solita fuerint.

7. Quae sententia vel eo ipso, quod tot textuum correctoria, & conjectura tantum est, omnemq; in factum actionem comprehendit, satis redarguta videtur.

9. Melius Jacobus Cujacius ex Harmenopulo (licet hic scripturam in conventionibus requirere videatur, quod non simpliciter probo) ita dictam putat, quod detur ex praescripto conventionis seu contractus, hoc est, ut ex Imp. Antonini Constitutione explicat Aegidius Hortensius, ex certa lege seu conventionem.

10. Cui explanationi idem addit, ita quoque dictam, quod directae & in iudicium praescripta sit, h. e. ( quantum colligo ) quod Praetor secundum praescriptum conventionis inter partes celebratae iudici etiam iudicium seu formulam praescripserit.

11. Quam sententiam etiam Eguin. Baronius, & Franc. Duarenus fuisse arbitror.

12. Ea quoque cum vero-similis appareat, ad opinionem Hug. Donelli, hanc actionem ita nuncupatam, quod quando editur, res gesta seu factum narretur ac demonstretur ab initio praescriptis, h. e. ante-scriptis verbis, quibus postea petitio subjiciatur, putantis, mihi deveniendum esse non existimo.

13. Tum quod teste Hormano, praescribendi verbum pro ante-scribere rarius a nostris usurpetur: tum quod & in factum utilis narrationem & petitionem; nec tamen iudicium praescriptum seu directum habeat.

14. Sed propius ipsam definitionem accedamus. Genus hujus actionis dico actionem in factum.

15. Neque tamen ideo tot in locis in factum appellari hanc actionem

tionem putarim, quod verbis sit praescriptis, & in factum, h. e. rem gestam compositis. Licet hac Donelli & Hortm. sententia suo etiam modo non sit inconveniens.

16. Sed fundamentum peto ex divisione illa actionum, quam Ulp. nobis reliquit, qui actionum quasdam ex contractu, quasdam ex facto, quasdam deniq. in factum esse scribit. Quarum actionum aliae alijs genera sunt vel species; aliae alijs directae vel subsidiariae.

17. Actio enim in factum simplicissima & generalissima est, quae omnium genus est, adeoque de omnibus praedicari potest: cum ex aequo & bono detur. Quod cum facti sit, in universum jure constituto deserviri nequit, cum vix id possit in singulis articulis.

18. Si tamen jure recipiatur hujusmodi aequitas, non amplius tam aequitas, quam jus dicitur: unde & non tam utiles, quam directae actiones proficiuntur.

19. Specialior in factum actio, & inter hanc, actionemque ex contractu tanquam intermedia interjacens ex facto actio est, quae praeter actionem in factum proprium & speciale hoc habet, quod ad certam penam ex certa lege vel alia juris specie directa sit.

20. Specialissima denique in proposita divisione actio ex contractu est, quippe quae praeter actionem ex facto hoc adhuc proprium habet, quod ultro citroque sit, quatenus scilicet inter duos pluresve actum est. Quomodo eleganter harum actionum differentiam mihi explicuisse videtur Hortensius.

21. Non tamen actionem ex facto genus actionis hujus nostrae facio. Cum illa non genus, sed species actionis praescriptis verbis sit, adeoque actiones ex facto etiam praescriptis verbis dici possint, cum & illae ex praescriptis legis verbis competant. Licet ob nomina, quae istis actionibus tributa sunt specialiora, hoc nomine non appellentur.



22. Directa autem hæc actio est, secus ac cum Cujacio & Donello Hotmanus existimat. Omnis enim ex facto actio jam directa est, ex eâ scilicet lege vel constitutione, qua actionem ex eo facto informat.

23. Et cur minus directa esset hæc ex innominato seu incerto contractu actio, quam si ex certo suam traheret originem? Licet enim nomen hîc incertum, nec directum sit; quo unico sensu utilem quandoq; appellari fateor: proprium tamen hîc est negotium, certa lex contractus, propria deniq; actio.

24. Quare igitur ex lege ipsa contractus seu conventionis, cui causa idonea subest, directio hîc formula non præscribi; & non tam ex interpretatione, quam ipsâ sententiâ & verbis legis hæc actio dari dici posset?

25. Unde & civilem hanc actionem cum Mauritiano Ulpianum rectè vocasse apparet. Non enim ex nudo a quo & bono, jure directo deficiente, sed ipso jure civ. non pratorio, constituta est, de negotio scilicet civili, h. e. ut Hotm. explicat, quod civitatis moribus comprobatum gestum fuit.

26. Civilis igitur est, etsi ex jure gentium sit: cum omni juri gentium, ex quo contractus esse Hermogenianus autor est, jus civile insit. In qua ratione reddita Hortensium non ineptire defendam.

27. Quibus omnibus etiam hanc actionem non extraordinariam esse ἐπιδικαστικὴν est.

28. Et licet non rarò incerta à nostris appelletur: certam tamen eam etiam optimo jure dici posse & debere dico.

29. Ex contractu autem hanc actionem comperere ajo, & quidem illo maximè, qui ultro citroq; obligatio est. Hic enim Labeoni propriissimè contractus est.

30. Quem si latius accipere mavis, conventionem definitio cum causâ per se ad obligandum idoneâ.

31. Conventionem cum causâ dum dico, nudum pactum (quod unicum

unicum de non-peterido cum Hortiano, ex Ulpiano, modò is ex Pandectis Florentinis nobis integer seruetur, agnosco) satis excludo: licet & hoc nominatis contractibus simplicibus novè, ut ipse ait, accenseat Vasquius.

32. Causam autem cum Hortensio, contra vulgus Interpretum, voco rem ex parte unius præcedentem, quæ par sit alteri obligando.

33. Non dico conventionem cum datione vel facto, aut de dando vel faciendo, ne donationem cum contractu confundam, quæ quidem conventio est de dando vel faciendo ex liberalitate, vel purâ & simplici; vel restrictâ, certâ scilicet conditione, vel modo (quò & simplicem ob rem dationem refero) ortum trahens: donationis tamen tantum, non etiam obligationis principaliter acquirenda gratiâ interposita.

34. Latius igitur datio & factum patet, quam obligatio. Ubiunq; autem causa, ibi & obligatio. Et latius quoq; causa patet, quam datum & factum, quod contractus consensu constanter docere possunt.

35. Causam autem per se ad obligandum idoneam in contractibus dum versari dico; pacta tùm legitima (quæ Cujacium inter nuda minus rectè retulisse Ulpiano, ipsiq; adeò Imp. Iustiniano testibus evincam) tum etiam adjecta hinc separo.

36. In his enim causa non à seipsa subest, sed aliunde, h. e. vel à lege, quâ conventiones, aliàs ad obligationem per se inefficaces, idoneæ ad obligationis nexum redduntur; ut in donatione simplici ex Constitutione Iustiniani videre est: vel à contractu certo, cui pactum aliquod ab initio appositum vel addit vel detrahit, adeòq; contractum sibi subjectum informare, & pars ejus esse Ulpiano dicitur.

37. Est autem contractus nominatus vel innominatus. Nominatum autem appello, qui à propria & specifica formâ desumptum nomen habet. Innominatum contra,

38. Duas

38. Duas enim istas notas h. e. & proprium nomen, & propriam, certam & determinatam formam, conjunctim ad nominatum contractum constituendum requiri rectè Bartolus existimat.

39. Pœnitentiam igitur licitam vel illicitam, differentiam perpetuam inter hos contractus non constituere, exemplo societatis & mandati, arbitror.

40. Pejorem alii differentiam afferunt, quod scilicet ex contractibus nominatis actio detur, quam-primum ad eum suum acceperint; ex innominatis verò, implemento demum secuto. cum his impletio secuta, ante quàm contractus tantùm sunt in fieri, esse suum tribuat, ex eòq; tempore statim etiam actionem producant.

41. Melius igitur Hortensius: In contractibus certis seu nominatis datio vel factum utrinq; servire debet obligationi; non contrà. Cum obligatio ibi ab initio sit causa dandi vel faciendi. In incertis contrà.

42. Cur autem quidam tantùm contractus jure civili nomen & formam certam invenerint, reliquis in generis nomine manentibus, post Dd. communiter Donellus & Hotmanus mores & communem hominum necessitatem ac frequentiore usum, causam afferunt. Ob raritatem enim suam, si ea scilicet ex nominatorum æstimetur frequentia, à veteribus quos vocamus, nomine carere oportuisse.

43. Quod Antonio Fabro displicet, qui ideò nominatos dictos putat, quia certam suà naturà formam & legem habeant, quæ uno nomine exprimi possit: innominatos verò ità dictos, quia in eis negotium varium & multiplex, quod uno certo nomine comprehendi nequeat, versetur. Sed principium Faber petere videtur.

44. Ex omnibus hisce, tam nominatis quàm innominatis contractibus actionem Præscriptis verbis competere ajo cum Julio Pa-

lio Pacio, & Aegid. Horrenſio, qui eam metropolim omnium contractuum inde etiam appellat.

45. Nam omnes omnibus ex contractibus actiones æquæ dantur ex præſcripto contractus, hoc eſt, ex certa lege vel conventionẽ. Quando enim actionem ex emto-vendito, locato-conducto, proſocio, cum ſimilibus uſitatis dicimus; nihil aliud, quàm verbum contractus, ex quo ea actio eſt, præſcribimus.

46. Non appellari quidem in nominatis contractibus præſcriptis verbis actionem concedo. Sed nomen, quod ibi ad quamlibet ſpeciem contractuum nominatorum magis directum eſt, & ſic generali merito derogat, cauſam adfero.

47. Illud enim eſt, quod Celfus ait, vulgaribus & uſitatis actionum nominibus deficientibus, præſcriptis verbis agendum eſſe. Non dicit antea hanc actionem non competere: ſed tantum prius hæc iſa non agi.

48. Ex innominatis igitur contractibus potiſſimum hæc actio competit: & quæ non ineſt, ſed per ſe eſt, iſtorum contractuum propria eſt. Vnde & deſinita fuit.

49. Conſiſtit autem contractus *ἀντιπώσις* in permutatione, Cui vocabulo idem, quod præſcriptis verbis appellationi accidit. Eſt enim ſimiliter generis vocabulum, omnibus contractibus propriis etiam nominatis competens; quod nec ipſe Cujacius ac VVeſembecius diffidentur.

50. Speciei tamen vox redditur, ſi ſpecies ſingulorum contractuum nominatorum inde eximantur.

51. Relinquetur enim illa tantum permutatio, quæ in nominatum aliquem cadere non poteſt, ac propterea contractus erit innominatus, ſecus ac exiſtimavit Fort. Garzias, & qui tamen palinodia in hac in quaſtione cecinit, Coraſius.

52. Permutationem igitur hęc voco conventionem de dando vel faciendo, ex datione vel facto ſubſecuto implementum accipientem,

B

53. Ejus

53. *Ejus species innominatae tres: do ut des, do ut facias, & facio ut facias.*

54. *Vnde quam inter contractum Do ut des, & permutationem differentiam, videlicet quae speciei à genere est, statuam, non-nemini manifestum esse potest.*

55. *Neq. enim cum Cujacio & Connano Corasium & Pinellum rectè hæc duo confundere; nec Vesembecium & Anton. Fabrum, cum Accursio & Dd. communiter, permutationem in specie, do ut des in genere fieri, rectè opinari arbitror. Nisi do ut des nudum intelligant, quod ad donationem impropriam retuli, & do ut dos contractui inest: ut generaliter nuda ob rem datio permutationi.*

56. *Si igitur pecuniam do, ut rem accipiam, emtio-venditio est, inquit Paulus. Sin autem rem do, ut rem accipiam, quia non placet permutationem rerum emtionem esse, dubium non est, nasci civilem obligationem.*

57. *Cui non contradicit Celsus, qui, si dedi tibi pecuniam, ut mihi Stichum dares, nullam hinc aliam obligationem, quam ob rem dari re non secutâ esse ait: & ideo si mortuus sit Stichus, me pecuniam datam repetere posse.*

58. *Ideo enim in hanc sententiam se procliviorè esse Celsus scribit, quia non prius tractatus hac de re habitus fuit; non prius conventio, qualem Paulus præsupponit, obligationis gratiâ de ea re præcepsit: sed sub modo tantum fuit donatio, seu ob rem datio, quæ modo vel conditione non existente, repeti potest per conditionem causa data causa non secuta.*

59. *Quæ conventio præcedens causa etiam erit, secundum Paulum, ut si scyphos tibi dederim, ut mihi Stichum dares, periculo meo Stichus sit, ac tu duntaxat culpam præstare debeas.*

60. *Cum Celsus me rem, seu scyphos, aut pecuniam datam hoc casu repetere posse affirmet, scilicet eo casu, quo nuda tantum ob rem datio, nullo prævio obligationis causâ tractatu, celebrata est.*

61. In

61. In omni enim condictione naturali, ut bene Hortensius, necesse est, ne conventio videatur interfuisse. Nihil enim conditio naturalis quam delet faciem juris gentium, dum dationem, quæ jure gent. facta est, ad pristinum locum & tempus, quo facta non erat, redigit; & jus naturale, quo nulla datio, omnia omnium communia erant, quadam postliminij similitudine revocat.

62. Rem alienam dantem nullam contrahere permutationem Pedius, referente Paulo, ait.

63. Quam questionem quomodo Sichardus pro super vacua habendam dicat, equidem miror: cum utilitas ejus vel seipsam satis ostendat.

64. Pedij autem mentem hanc esse arbitror, permutationem scilicet hoc casu non contractam esse ad hoc, ut rem alienam dans permutationem ex sua parte videatur implevisse, ut vel alterum cogere possit, ad rem, quæ ejus propria sit, dandam, ejusve interesse præstandum; vel impedire, quò minus alter, qui suam dedit, eam condicat, aut agat præscriptis verbis.

65. Sed si, qui prius rem alienam accepit, suam tradere nolit, quod tum alter rem à se datam per condictionem ob rem dationis repetere possit. Explicatio ex præcedenti Pauli ratione est, quæ posita est supra positione 41.

66. Quid si ex una parte res simul & pecunia detur, pro re ex altera parte, an emptio-venditio erit, an permutatio? Et a communi, quæ id, quod contrahentes principaliter intendunt, attendendum asserit, hac in parte recedere religioni mihi duco. Quod si id non expresserint, neq. de eo aliunde appareat, permutationem, seu petrius contractum do ut des, celebratum esse non dubitandum est.

67. Explicitus esset articulus do ut des; nisi de precario dubium adhuc restaret.

68. Sed & hoc contractum esse, quod nec ipse Ulp. negat,

quatenus scilicet conventioni subest traditio, & conventio est non tacita, sed expressa de re restituenda, affirmo.

69. Qua conventio si non subsit, precarium ad donationem & beneficij, non etiam ad negocij causam spectat.

70. Quo casu nulla ex eo civilis actio: sed interdictum tantum, quod tunc in defectum civilis actionis datur in subsidium.

71. Ex quo patere arbitror, quomodo verum sit, quod non solum interdicto, sed etiam incerti conditione, h. e. prescriptis verbis actione pro precarij restitutione nos uti posse, Iulianus respondit.

72. Succedit articulus do ut facias. In quo si tale factum sit, quod locari solet, pecuniâ datâ locatio erit. Si res, non locatio; sed nascetur vel civilis actio in hoc, quod mea interest: vel ad repetendum conditio.

73. Conditionem etiam hoc casu competere Paulus ait, quippe cum & hîc sit ob rem datio, quâ in omnes contractus manat, omniq; permutationi inest: sicut hæc omni etiam emptio- ni venditioni.

74. Ex permutatione igitur, seu articulo do ut facias, hoc casu agere licet quidem ad id, quod interest, te accepisse, quod convenit: sed & conditione naturali seu utili agere licet, si videlicet tua non inter sit id accipere, cujus datio alicui vicissim incumbit: si ve malis id recipere, quod dedisti.

75. Sed si dedi tibi servum, ut servum tuum manumitteres, & manumisisti, ac is, quem dedi, evictus est, si sciens dedi, de dolo in me dandam actionem Iulianus scribit: si ignorans, in factum civilem.

76. Iulianus non dabat civilem in factum. Dedisset enim eandem, etiam cum dolus arguitur. Istud ergo CIVILEM vel cum Duareno tollendum; vel à Triboniano adjectum esse dicendum est, qui isto verbo & precedentem decisionis partem correctam voluerit.

77: Nam

77. Nam in hac specie rectè Iulianus à Mauriciano reprehensus est. Quod Ulp. putat. Paulus tamen non disputat. In qua sententiâ fuerit, scire nostrâ non multum interest. Ulpiani autem sermo manifestus, & à Iustimiano probatus, non prodit facio ut des, sed, de quo impraesentiarum, do ut facias.

78. Rectè enim ex antiquis Interpretibus Cujacius: Conventiones, inquit, ex initio aestimantur, non ex implemento.

79. Postquam enim res secuta est, obligatio retrahitur & refertur ad initium & tempus conventionis.

80. Ultima permutationis species, ex qua actionem praescriptis verbis dari puto, superest, quæ est articulus facio ut facias. Qui etsi magnam cum contractu mandati aliisq; cognationem habere videatur: planè tamen cum ipsis non convenit.

81. Et ex hoc hanc actionem dari dubitari non debet, cum factum ex parte unius satis iusta sit causa obligationis, quò vicissim quid fiat: æquè ut datio iusta obligationis causa, ut vicissim detur.

82. Et porrum jam videre me putarem, nisi scopulus & rupes satis ardua in hac navigatione mihi prius superanda restaret; quæstio videlicet de articulo facio ut des, quam IC. Paulus satis nodosam nobis reliquit.

83. Unde & Paulus de Castro, qui hanc disputationem de summis juris apicibus esse putat: Si Paulus IC. ipse, inquit, revivisceret, satis in ænigmate hoc solvendo negocij habiturus esset.

84. Et licet Hotmanus tricas vocet hanc disputationem, quæ ad ingeniorum carnificinam potius, quam ad usum vitæ pertineant: nescio tamen, an meliori ratione is totam conjecturam suam de perscriptis verbis in nominis notatione querendâ ferè consumat. Majoris profectò usus quæstio nostra.

85. Sed age Paulum audi. Hic: quod si faciam, inquit, ut des, & posteaquam feci, cessas dare, nulla erit civilis actio: & ideò de dolo dabitur.



86. Sed cur quæso præscriptis verbis non dabitur æquè, ut ex superioribus tribus articulis? Respondet & præter & contra omnes Hortensius, quem hîc sequi libet: quia causa hîc non subsit. quæ quid sit, supra dictum.

87. Rem autem ex parte unius præcedentem, quæ idonea sit alteri obligando, articulo huic non subesse, unde expincitur: quia factum multò minus datione est.

88. Dationes enim, quæ ex jure gentium, ex quo dominia distincta, & propria singulorum utilitas introducta est, juris sunt; cui juri utiq; & factum inest.

89. Unde & datio factio, vel obligationi ad faciendum omnino idonea est: cum & datio dationi, seu ad dandum obligationi par sit. Quemodo etiam præscriptis verbis actio utroq; casu comperit.

90. Facta verò cum in nudo usu, seu jure naturali remanserint, quasi nullum emolumentum contineant, dationi vel obligationi ad dandum idonea non censenda sunt.

91. Nullum enim factum utile censeri debet: aut si tale omnino censendum est, utile tantum in subsidium dationis est.

92. Cum igitur, secundum Paulum, nulla hac in specie sit civilis actio h. e. nullus certus incertus-ve contractus, ex quo præscriptis verbis actio dari possit, ob causæ scilicet defectum; sed tantum ob rem datio: ideo ex bono & æquo omnium postremo, quod est, ut ne is, qui fecit, fecerit, quod non vicissim datur, cujus gratiâ quid fecit; cum aliâ manifesta appareret iniquitas.

93. Actiones autem utiles in factum, quæ ita ex æquitate dantur, non dantur in id, ut reus det, sed ut ab eo in integrum restituatur id, quod ab actore ejus causâ frustra factum est.

94. Et cum facta infecta fieri, aut in integrum restitui naturaliter non possint: ideo condemnatur hîc reus, quanti actoris, id non fecisse, interest.

95. Ad.

95. Adjecit verò doli mentionem Paulus, propter conventionem, quæ ex initio istius responsi hoc etiam casu præcessisse intelligenda est.

96. Varias aliorum de hoc articulo opiniones hîc prolixè referre aut examinare jam non libet. Quare earum discussionem ipsi volentes refero.

97. Illud tamen adhuc monitione non indignum arbitror, dari nimirum præscriptis verbis actionem non tantum in id, quod interest, sed secundum rei in contractum deductæ naturam, prius quidem, si actor id malit, ad contractum implendum.

98. Licet ejus quod interest, leges crebrius mentionem faciant. Quippe cum in eo etiam rei ipsius, quæ aliàs petenda esset, æstimatio insit: Et sapius quis interesse, utpote ex quo plus lucri, cujus gratiâ omnes contractus celebrari Ulp. ait, sperat, quàm rem ipsam consequi malit.

99. Vltimò cum Hotm. omnem præscriptis verbis actionem bonæ fidei esse contra communem affirmo.

100. Nec præscriptis verbis actionem & conditionem utriusque unquam concurrere ajo. Licet actionum æquæ principalium concursus non diffit ear.



П А Р Е Р -



Παράθεσις

*Ad Epitaphia subseqq.*

Ex jure

I.

*Justiniano,*

An fidejussores etiam in criminalibus rectè inter-  
veniant?

II.

*Constitutionum Imperij,*

Utrùm per Constitutionem Maximiliani I. A. 1512  
in Comitijs Coloniensibus promulgatam, Invo-  
catio nominis divini in instrumento tanquam  
necessaria introducta sit in illis locis, in quibus  
antea ex consuetudine non fuit requisita?

III.

*Canonico,*

Utrùm in usucapionibus jus civile, quod ab initio  
tantùm bonam fidem requirit, juri Canonico,  
quod semper eam desiderat, sit præferendum?

IV.

*Feudali,*


An foemina semel à successione feudi per masculos  
exclusa, perpetuò censeatur exclusa?

V.

*Saxonico,*

An hoc jure locum habeat Reconventio?

*quæsitus respondebo.*







77. Nam in hac specie rectè Iulianus à M  
hensius est. Quod Ulp. putat. Paulus tamen  
qua sententiâ fuerit, scire nostra non multum i  
m autem sermo manifestus, & à Iuliana  
prodit facio ut des, sed, de quo impraesentiarum

78. Rectè enim ex antiquis Interpretibus  
tiones, inquit, ex initio aestimantur, non ex im

79. Postquam enim res secuta est, obliga  
refertur ad initium & tempus conventionis.

80. Ultima permutationis species, ex qua  
ptis verbis dari puto, superest, quæ est articul  
Qui etsi magnam cum contractu mandati a  
habere videatur: planè tamen cum ipsis non c

81. Et ex hoc hanc actionem dari dubitari  
factum ex parte unius satis iusta sit causa obl  
cissim quid fiat: æque ut datio iusta obligat  
cissim detur.

82. Et portum jam videre me putarem, ni  
pes satis ardua in hac navigatione mihi prius  
rei; quæstio videlicet de articulo facio ut des  
satis nodosam nobis reliquit.

83. Unde & Paulus de Castro, qui hanc  
summis juris apicibus esse putat: Si Paulu  
revivisceret, satis in ænigmate hoc solven  
rus esset.

84. Et licet Hotmanus tricas vocet ha  
que ad ingeniorum carnificinam potius, q  
pertineant: nescio tamen, an meliori ratione  
ram suam de perscriptis verbis in nominis n  
ferè consumat. Majoris profectò usus quæst

85. Sed age Paulum audi. Hic: quod si  
des, & posteaquam feci, cessas dare, nulla er  
idea de dolo dabitur. B

